

effectum extra ipsum agens, sive ipsamet sit etiam extra illud, sive non; hoc enim postea videndum est. E contrario vero actionem immanentem vocamus, quæ nullum effectum extra agens habet, de qua extra controversiam est, esse in agente ipso.

Prima sententia de termino actionis.

2. Est igitur multorum sententia, de ratione actionis, quæ proprie est genus quoddam accidentis ab aliis distinctum, esse ut tendat in aliquem terminum, quem proinde transcendentaliter respiciat, id tamen non esse de ratione omnis actionis, id est, omnis causalitatis activæ, quæ sit actualitas seu exercitium potentie activæ. Hanc opinionem tenent multi Thomistæ, præsertim Soncin., 5 Metaph., quæst. 26. Cujus fundamentum est, quia in prædicamento actionis sunt actiones transeuntes, quas necesse est habere aliquem terminum seu effectum, ad quem tendant, quia in hoc consistit earum ratio, ob quas transeuntes dicuntur; actiones vero immanentes non ponuntur in genere actionis, sed sunt qualitates quædam, ut idem auctor latius probat, lib. 9 Metaph., q. 21; et ideo necesse non est ut talis actio habeat terminum a se distinctum. Et quia in priori parte non est controversia, posterior probatur primo ex Arist., 9 Metaph., cap. 9, text. 16, ubi hoc discrimen constituit inter actionem transeuntem et immanentem, quod per illam aliquid fit, non vero per hanc, quod est dicere, actionem immanentem non esse propriam actionem quæ sit de genere actionis.

3. Secundo argumentatur Soncin., quia omnis actio de genere actionis est successiva; nam omnis actio est motus, ut dicitur 3 Phys., text. 19, et constat ex libro de Anim., et supra etiam tactum est, cum de intensione qualitatum ageremus; ergo talis actio non est vera actio de genere actionis. Quod si in istis, quia hinc sequitur illuminationem non esse veram actionem, concedit Soncin. sequelam, unde multo magis idem diceret de generatione substantiali.

4. Tertio, quia omnis actio infert ex se passionem, ut etiam constat ex 3 Physic.; sed actiones immanentes non inferunt passiones in id circa quod versantur; nam visio non immutat visibile circa quod versatur. Et hinc etiam fit ut talis actio non possit respicere terminum qui per illam fiat, quia nunquam actio habet talem terminum, nisi quatenus transmutat id circa quod versatur, ut talem ter-

minum respiciat; sed per actionem immanentem non transmutatur propria materia ejus, quæ est objectum ejus; ergo per talem actionem nihil fit. Et confirmatur, quia potentia activa est principium transmutandi aliud in quantum aliud; ergo actio propria est, qua aliud transmutatur; per actum autem immanentem non transmutatur aliud, ut ostensum est. Quarto argumentatur, quia actio immanens est perfectio agentis, cum in tali actione interdum consistat beatitudo operantis; sed nulla propria actio prædicamentalis est perfectio agentis, quia ignis calefaciendo non perficitur per actionem suam; ergo.

Secunda sententia collocans actiones immanentes in prædicamento actionis, etiamsi termino careant.

5. Secunda sententia negat esse de intrinseca essentia actionis ut sic habere terminum qui per eam fiat, ad quem dicat respectum, de essentia (inquam) actionis quatenus est proprium quoddam genus summum ab aliis distinctum, quia sub eo genere quædam sunt actiones habentes terminum, aliæ non habentes. Habentes terminum sunt actiones transeuntes, in quo hæc sententia convenit cum præcedenti. Quæ vero non habent terminum, sunt actiones immanentes, de quibus longe diverso modo sentit hæc sententia quam præcedens; existimat enim has actiones immanentes esse propriissimas actiones de genere et prædicamento actionis, esse tamen puras actiones, quæ nullum terminum intrinsecum, per se loquendo, producant, sed immediate per se attingunt sua objecta. Ita sentiunt de actionibus immanentibus multi ex discipulis D. Thomæ¹, nam, licet peculiariter tribuant intellectioni, quod producat verbum tanquam intrinsecum effectum, tamen nec similem aut proportionalem effectum tribuunt omni actioni immanenti; nam in actionibus sensuum et utriusque appetitus id fere omnes negant. Neque inter se conveniunt in attribuendo illo effectui omni intellectioni; nam quidam solum propter absentiam objecti in quibusdam intellectionibus illum effectum requirunt. Nec denique videntur ponere illud verbum per modum proprii termini intellectionis ut actionis

¹ Cajet., 1 p., q. 27, art. 4, dub. 1, et 3; Fer., 1 con. Gent., c. 53; Capr., in 1, d. 27, q. 2.

producentis, quia docent verbum et intellectionem esse res omnino distinctas, quod repugnat actioni et proprio termino intrinseco, quia actio solum potest esse modus illius rei, quæ est terminus, non res realiter distincta, ut supra probatum est disputando de causalitate effectiva. Est ergo eorum sententia, actionem immanentem ut sic per se nihil producere quod sit proprius terminus ejus, sed esse puram actionem, quamvis interdum ex illa aliquis effectus resultet. Ita sentiunt citati Thomistæ, et alii moderni interpretes¹ D. Thomæ, in 1 part., quæst. 27, art. 4; et Javel., 9 Metaph., q. 16, ubi non numerat alios effectus actionum immanentium, nisi habitus, ad quos potius comparantur ut principia agendi, quam ut actiones, in quo satis declarat illas actiones non habere terminos intrinsecos proprie dictos.

6. Fundamentum primum ac præcipuum hujus sententiæ est testimonium Philosophi, 9 Met., text. 16, dicentis, quasdam esse actiones quarum non est aliquid aliud opus præter ipsam actionem, quas omnes intelligunt esse actiones immanentes, ut patet ex Comment., D. Thomæ, et aliis. Ergo non est de ratione actionis ut sic habere terminum intrinsecum, ad quem ut ad proprium finem et perfectionem tendat. Secundo fieri potest inductio, nam visio corporalis nihil producit in objecto, neque in ipsomet vidente præter seipsam; nulla enim est ratio fingendi vel multiplicandi aliquid aliud per illam actionem productum, et idem est de actibus aliorum sensuum, et de actu amandi, et similibus. Tertio, potest adjungi hæc ratio, quia hæc actiones non sunt a natura institutæ ad aliquid producendum, neque ut agens per illas communicet suum esse, sed ut per eas potentie sese uniant objectis suis; ergo sine causa tribuitur his actionibus quod aliquid producant. Ubi etiam applicari potest illud axioma, non esse multiplicandas res absque necessitate.

Tertia sententia, in omni actione terminum requirens.

7. Tertia sententia est, de ratione actionis ut sic esse, quod habeat terminum quem intrinsece respiciat, idque proinde commune esse omni actioni quæ a vera causa efficienti proficiscatur. Hæc est communior sententia

¹ Joan. Vincent., in Relect. de Gratia Christi, q. 7, dub. 1.

Theologorum in 1, dist. vigesima septima, præsertim Durandi et Gabriel., quæst. 2; sumiturque ex Scoto, quæst. 3, et Quodlib. 8; et ex Bonaventura, in 1, dist. 3, a. 1, quæst. 1, ad ultim., et ex Anton. Andr., 9 Metaph., quæst. 4, et aliis circa citatum textum Aristotelis. Et hanc sententiam existimo omnino veram. Et quoniam, ut dixi, de actione transeunte nulla est controversia, declaranda prius est veritas hujus sententiæ in actione immanente, et deinde confirmabitur absolute de actione, ut sic.

Refellitur quædam distinctio Hervæi, de actione.

8. Ante omnia vero cavenda est æquivocatio de actione immanente et transeunte, quam introduxit Hervæus Quodlib. 2, quæst. 8, referuntque et impugnant Soncinas et Javellus locis citatis. Dixit enim Hervæus, operationem immanentem non esse effectionem, neque esse ullam causalitatem causæ efficientis, quæ esse possit actio immanens, quia putat hoc repugnare definitioni potentie activæ, scilicet, quod est principium transmutandi aliud in quantum aliud. Ait ergo actionem vel operationem immanentem solum dici posse de causalitate formæ vel materiæ, fortasse quia hæc causæ ita causant, ut maneat in ipso effectui. Verumtamen merito improbantur duo in hac sententia. Primum, quod causalitates materiæ et formæ actiones immanentes vocet, cum revera actiones non sint; alioqui, si ita licet abuti terminis, vix possumus auctores et philosophos intelligere. Philosophi autem, et Theologi omnes, cum loquuntur de actione immanente, nunquam intelligunt causalitatem materiæ et formæ, sed actus potentiarum vitalium, qui ab ipsis effective fiunt. Secundum est, quod falso negat aliquam propriam effectionem esse vere immanentem, cum id omnes doceant de actibus vitalibus, et non repugnet aliquam potentiam agere in seipsam, sive illa sit parziale principium agendi, sive totale proximum, aut virtuale, de quo in superioribus late disputatum est. Hic ergo per actionem immanentem intelligimus veram ac propriam efficientiam quorundam actuum, qui manent in ipsis potentiis a quibus fiunt, easque informant.

Dependentia actuum immanentium a suis potentiis exponitur.

9. Secundo suppono hos actus immanentes et esse veras qualitates, et effective fieri.

a suis potentiis. Prior pars communis est, ut supra visum est, cum de speciebus qualitatis ageremus. Posterior vero pars certissima est; nam, licet sit controversia an de potentia absoluta possint hi actus immanentes et vitales constituere potentias animæ in actu secundo, si ab eis effective non fiant, tamen saltem est certum, ex natura rei non posse hominem cognoscere vel amare his actibus, nisi eos efficiendo eisdem potentiis quibus cognoscit vel amat. Et de actibus liberis censeo etiam certum, nec de potentia absoluta posse liberos esse, nisi effective fiant a potentia libera, cujus sunt actus, ut in superioribus tactum est. Atque hinc sequitur in his actibus non solum esse qualitates ipsas, sed etiam dependentiam effectivam earum a suis potentiis, et causalitatem effectivam potentiarum in ipsas, quia hæ potentiæ vere efficiunt has qualitates; ergo sunt veræ causæ efficientes earum; ergo habent veram causalitatem effectivam in ipsas; ergo et ipsæ vere pendent effective a potentiis tanquam proprii effectus earum. Omnes enim hæ consequentiæ sunt evidentes ex illo antecedente; imo vix ei aliquid addunt, præter majorem eorumdem terminorum vel correlativorum explicationem.

10. Posset autem aliquis dubitare an dependentia hujus qualitatis a sua potentia sit aliquid ex natura rei distinctum a tali qualitate. Et quidem si auctores primæ opinionis in aliquo sensu probabiliter loqui potuerunt, nullus alius videtur esse, nisi quod hæ qualitates per seipsas immediate, absque actione media, ex natura rei ab eis distincta, egrediantur a suis potentiis. Hoc enim supposito, probabiliter negatur in effectione earum intervenire proprias actiones de prædicamento actionis, quia in eis efficiendis non mediata actio propria. Et eadem ratione dicuntur esse puræ qualitates, et non actiones, nisi æquivocæ, vel, ut alii loquuntur, grammaticales, quia significantur per modum actionis tendentis in objectum, ut in terminum, cum tamen in illud nihil producant. Vel certe dici possunt eminenter actiones, quia vere efficiuntur non per actionem formalem, sed per aliquid eminentius actione. Ac denique juxta hanc sententiam optime salvatur dependentia essentialis horum actuum a suis potentiis; nam si sunt ita puræ qualitates, ut per seipsas formalissime tales qualitates sint et pendeant active a suis potentiis, impossibile est illas qualitates esse in rerum na-

tura sine tali dependentia. Nam si sint in rerum natura sine tali dependentia, illud erit sufficiens argumentum, quod dependentia illa non sit essentialis, sed sit aliquid ex natura rei distinctum ab ipsis qualitativibus, ut qualitates sunt.

11. Atque illa sententia, in hunc modum explicata, non est omnino improbabilis; tamen ex illa non potest colligi, dari actionem sine termino, sed potius colligendum esset dari terminum sine actione (si ita loqui licet), nam datur qualitas vere producta et facta sine actione media. Mihi tamen probari non potest hæc sententia. Primo, quia dicit aliquid singulare vel novum in his actibus sine sufficienti fundamento. Nam efficientia horum actuum non est impropria per aliquam resultantiam, sed est maxime propria et per se; nam, sicut aliæ virtutes activæ, dum proprie agunt, se explicant in suis actionibus, ita hæ potentiæ in suis actibus. Neque etiam efficiunt hæ potentiæ hos actus per alios priores actus immanentes, ut dicamus priores esse veluti eminentes actiones posteriorum, sicut philosophantur multi de actionibus Dei ad extra; sed hi actus, per se loquendo, manant a suis potentiis sine interventu aliorum actuum immanentium, qui sint qualitates distinctæ; esset enim processus in infinitum. Nunquam enim invenitur propria efficientia virtutis activæ in effectum sine media actione; id ergo tribuere his actibus singulare est, cum tamen in eis nihil sit singulare ob quod id asseratur. Quia quod tales actus continue pendeant ab influxu potentiæ, nullum argumentum est; nam etiam lumen pendet illo modo ab illuminante, et multo magis omnes creaturæ a Deo, et nihilominus in his efficientiis intercedit vera actio. Illa vero essentialis dependentia, quæ tanta sit, ut hæ qualitates nullo alio modo fieri possint, gratis et sine fundamento asseritur.

In actibus immanentibus proprias actiones prædicamentales intervenire ostenditur.

12. Quapropter ex opposito principio longe probabilius esse censeo, etiam in his qualitativibus distingui ex natura rei dependentiam et dimanationem activam, ab ipsis qualitativibus, et consequenter intercedere in effectione horum actuum veras et prædicamentales actiones habentes proprios et intrinsecos terminos per ipsas productos, qui sunt ipsimet actus, ut sunt qualitates quædam infor-

mantes suas potentias. Probo singula, et primo, quod hi actus non habeant dictam essentialem et immutabilem dependentiam a suis potentiis, quia nulla res creata habens propriam entitatem, et proprium esse realiter distinctum ab aliis, habet tantam dependentiam ab alia creatura, ut non possit a solo Deo fieri sine adminiculo vel consortio creaturæ cum ipso efficientis; hoc enim pertinet ad omnipotentiam Dei, et in hoc fundatur illud principium: *Quidquid potest facere cum causa secunda, potest facere se solo.* Et ratio a priori est, quia cum Deus solus sit ipsum esse per essentiam, eminenter continens omne esse participabile, per se solus est sufficiens principium activum cujuslibet esse. Potest ergo Deus efficere hos actus, quatenus sunt quædam qualitates, sine concursu activo potentiarum, sive illos efficiat informantes potentias, sive non; hoc enim est alterius speculationis; ergo dependentia harum qualitativum a potentiis non est de essentia et entitate harum qualitativum; ergo est aliquis modus ex natura rei distinctus ab ipsis. Unde mihi sane non videtur consequenter loqui Soncin., 5 Metaph., q. 20, ad 4, dum ex professo probat non esse de ratione actus immanentis, effective esse a potentia in qua est, quia potest Deus se solo, non concurrente alio principio activo, causare in intellectu intellectionem, et statim, q. 21, negat actiones immanentes esse veras actiones; quia negare non potest, has qualitates, quas dicit esse actus immanentes, de facto fieri a suis potentiis; ergo si fiunt, et hoc non est de ratione earum, est aliquid medians inter ipsas et potentias a quibus fiunt, quod non potest esse nisi dependentia et actio.

13. Præterea, quamvis daretur has qualitates essentialiter pendere a suis potentiis, non tamen probari potest, neque est verum, quod pendeant per suasmet entitates, eadem immutabili dependentia, quia unusmet actus immanens potest fieri a sua potentia diversis modis, ut, verbi gratia, cum concursu habitus, aut sine illo, vel media hac specie intelligibili aut alia, et cum hoc auxilio Dei, vel cum alio, maxime in supernaturalibus actibus; et juxta hos diversos modos efficiendi necesse est variari actionem et dependentiam, etiamsi non varietur qualitas ipsa, quia quacumque ratione varietur agens, varietur actio, etiamsi non varietur effectus, ut constat ex dictis de causa efficiente, et in sequenti sectione aliquid etiam attingemus. Quacumque autem

ratione possit in re ipsa variari dependentia in eadem qualitate, est signum certissimum, illam dependentiam esse in re distinctam a tali qualitate, et habere veram et propriam rationem actionis. Igitur etiam in qualitativibus illis distinguenda est ex natura rei vera actio, quæ sit causalitas potentiæ efficientis talem qualitatem. Unde etiam constat, iam actionem, ut actio est, non esse de genere qualitatis, quia est tendentia ad qualitatem, ex natura rei distincta ab illa, et est vera causalitas activa constituens suo modo causam agentem in actu secundo respectu effectus, qui effectus formalis non pertinet ad qualitatem. Erit ergo illa propria actio de prædicamento actionis, quia ad hoc sufficientem convenientiam habet cum aliis actionibus, et quia non est aliud prædicamentum in quo ut sic collocetur.

14. Adde nihil ob stare quominus talis emanatio ab agente non pertineat ad hoc prædicamentum, nam quod sit momentanea, vel quod semper duret cum termino, non obstat, ut patet in illuminatione, et quia hæc non diminuunt, sed perficiunt potius rationem actionis. Quod vero talis actio immanens sit, minus potest ob stare, cum ostensum sit habere verum terminum, et esse verum fluxum ab agente in passum. At vero quod agens et passum sint distincta, necne, impertinens est, ut inde tollatur ratio actionis prædicamentalis, ut suo etiam modo patet in nutritione, motu progressivo, et similibus, licet non tam perfecte. Et hæc sententia est magis consentanea Aristoteli, 9 Met., c. 6, et 6 Eth., c. 4, et 1 Magn. Moral., c. ult., ubi distinguit actionem in immanentem et transeuntem, et ubique hac ratione actus immanentes vocat actiones vel operationes, ut patet etiam ex 10 Ethic., c. 3, 4, 5 et 6, quibus locis eodem modo loquuntur veteres ejus interpretes. Item in Prædicamentis, c. de Actione, inter res illius prædicamenti ponit affici dolore et voluptate, quæ sunt actiones immanentes. Unde etiam Simplicius, in tract. de Sex. princip., ait ex Archita Tarentino, in prædicamento actionis collocari, tam actiones rerum inanimatarum, quam viventium, atque etiam ipsius hominis; quam sententiam habet etiam Albert. ibi. Non est autem dubium quin inter actiones animalium et hominis comprehendantur immanentes. Quapropter cum aliqui auctores dicunt actus immanentes non esse actiones nisi in modo significandi, vel loquuntur de actibus imma-

mentibus, ut sunt qualitates quædam, quia etiam ut sic solent significari per modum actionum propter tendentiam in objectum, et ita actus intelligendi dicitur intellectio, et volendi volitio; vel certe aliqui auctores non satis considerarunt propriam actionem, quæ in effectione harum qualitatum intervenit.

15. Tandem constat ex his omnibus, si actiones immanentes sumantur ut veræ actiones sunt, non carere termino intrinseco ad quem tendant, ut ad proprium finem et perfectionem suam. Probat ex dictis, quia tendunt in ipsosmet actus ut qualitates sunt, sicut illuminatio tendit in lumen, et calefactio in calorem.

Questionis resolutio, non esse actionem sine termino.

16. Ultimo ex his quæ dicta sunt de actione immanente, facile constat quid de tota quæstione et de actione ut sic respondendum sit. Dico enim, de ratione intrinseca actionis ut sic, et omnis actionis, esse, ut habeat intrinsecum terminum ad quem tendat, ut producendum per ipsam, et consequenter in essentiali et completo conceptu actionis includi transcendentalem respectum ad hujusmodi terminum. Prior pars probatur primo inductione, nam omnis actio transiens habet hujusmodi terminum, ut est extra controversiam; et omnis etiam actio immanens illum habet, ut ostensum est; et præter hæc non est aliud genus actionis; ergo omnis actio habet hujusmodi terminum; ergo signum est hoc esse de ratione actionis ut actio est. Secundo, est ratio a priori, quia actio, ut actio, si sit vera ac propria, nihil aliud est quam productio aut effectio, aut causalitas efficientis causæ; sed impossibile est vel mente concipere veram productionem, quin per eam aliquid sit productum, vel causalitatem actualem sine re aliqua causata; ergo impossibile est etiam intelligere actionem sine termino.

17. Tertio, si quæ essent actiones sine termino, maxime immanentes: sed hæc non, tum quia ostensum est illas esse qualitates quæ habere possint propriam rationem termini producti per propriam actionem, etiamsi talis actio in agente maneat, et inde immanens vocetur. Tum etiam quia si actus immanens esset pura actio, esset immutabilis et invariabilis, nec posset fieri nisi a tali agente, quod ostendimus non esse verum de toto actu immanente, etiamsi de actione, ut sic,

verificari possit; ergo in tota illa entitate quæ est actus immanens, invenitur aliquid, quod per varias actiones fieri potest; ergo illud habet rationem termini, etiam respectu actionis immanentis. Tum præterea quia nihil est in his actionibus propter quod censendæ sint carere terminis, ut patebit ex solutionibus argumentorum, et nunc solum declaratur ex generali ac præcisa ratione actionis immanentis. Nam vel explicatur ejus ratio per hoc quod maneat in agente, et hinc non excluditur terminus; nam si ipse terminus etiam manet in agente, tota actio erit immanens. Vel explicatur per hoc, quod sit actio vitalis, quæ requirit actualem et permanentem efficientiam; et hinc etiam non excluditur terminus, nam potest esse talis, ut natura sua postulet actualem et permanentem efficientiam seu influxum sui principii. Sicut lumen etiam postulat perpetuo conservari a suo agente, et nihilominus est terminus proprie actionis; et actiones animæ vegetativæ sunt etiam vitales, et requirunt actualem influxum principii, et nihilominus proprios habent terminos. Vel denique explicatur per hoc, quod actio immanens versatur circa extrinsecum objectum, quod non immutat, et hoc non excludit etiam terminum internum, nam objectum tantum est materia circa quam, quæ non pertinet ad propriam materialem causam; materia autem ex qua, quæ propriam rationem causæ habet circa talem actionem, est subjectum ipsum, in quo talis actio recipitur, et illud vere immutat, et ita in illo potest habere proprium et intrinsecum terminum; nihil ergo est cur negemus his actionibus proprios terminos. Est ergo de ratione actionis ut sic habere terminum.

18. Quod potest ultimo ita declarari: nam actio ut actio non dicit formam quæ habeat propriam entitatem, sed modum alicujus formæ vel entitatis, nimirum dependentiam ejus ab agente; de ratione autem modi est ut sit alicujus rei modus, neque aliter reperiri possit; ergo in præsentia, dependentia non potest esse nisi alicujus quod pendeat, et illud vocamus terminum actionis, seu dependentiæ, prout est ab agente. Dices, ipsam dependentiam pendere per seipsam, et ideo non semper egere termino qui per illam pendeat. Respondeo, nullum modum, imo neque formam simplicem esse posse propter seipsam tantum aut primario, id est, ut aliquo modo participet suum quasi effectum vel denominationem; sed per se ac directe est ut

aliud informet, vel quasi tendat in aliud; quod si ipsa aliquo modo participat illam denominationem, est quasi consequenter seu concomitanter. Exemplis res declaratur: nam intellectio et volitio, quia est actus per se tendens in objectum, non potest sistere (ut ita dicam) in se, quomodo dixit D. Thom., 1. 2, q. 1, art. 1, ad 2, impossibile esse ut primum amabile sit ipse amor, aut primum visibile ipsa visio, quia omnis visio est alicujus objecti visibilis; unde, licet unus actus immanens possit versari circa alium ut objectum, non tamen circa se; et licet fortasse idem actus intellectus et voluntatis aliquo modo reflectatur in sese, non tamen potest ita in se sistere, quin in aliquod objectum directe tendat. Similiter quantitas, licet aliquo modo seipsa sit quanta, non tamen potest in se sistere, sed ad aliquid præter ipsam ordinatur, ut illud quantum reddat, nimirum substantiam. Item, una relatio, si, ut multi volunt, non refertur ad aliam per alteram relationem, sed per seipsam, non potest ad hoc solum esse ut referatur per seipsam ad aliam, sed necesse est ut aliquid aliud referat ad suum proprium terminum. Sic ergo, licet dependentia seipsa pendeat, et actio seipsa fiat, non potest dari dependentia quæ in hoc tantum sistat, ut ipsa pendeat, neque actio quæ in hoc tantum sistat, ut actio ipsa fiat, quia tota necessitas actionis et productionis est, ut per eam aliud fiat.

19. Atque hinc manet satis probata posterior pars assertionis, nimirum, actionem essentialiter includere transcendentalem ordinem ad suum terminum, quia natura sua non est ad aliud instituta, nisi ut in illum tendat, eumque in rerum natura constituat. Quod etiam probari potest ex generali ratione modi; nam omnis modus dicit transcendentalem habitudinem ad id cuius est modus; sed actio non est nisi quidam modus ipsius termini, illum constituens dependentem a sua causa; ergo intrinsece includit prædictam habitudinem ad illum. Sed quæres qualis sit hæc habitudo, an sit per modum accidentis ad subjectum, vel per modum causæ ad effectum. Respondetur neutro modo esse, si proprie loquamur. Non quidem accidentis, quia accidens supponit subjectum esse, et ab eo causatur, saltem materialiter; actio vero nec supponit terminum, neque ab eo causatur, proprie loquendo, et præcipue materialiter. Non est etiam habitudo causæ; nam maxime efficientis; actio vero non est pro-

prie causa efficiens, sed est causalitas efficientis. Unde reductive quidem reduci potest ad hoc genus causæ, ratione cuius et actio dicitur esse prior natura termino, et verificatur hæc causalis locutio: Quia res producitur, est. Proprie tamen illa habitudo est viæ ad terminum, seu causalitatis ad effectum; quomodo, servata proportionem, unio respicit unitum, seu compositum, quod ex unione resultat.

Solvuntur argumenta primæ opinionis.

20. *Aristoteles quid in hoc senserit.* — Ad argumenta primæ opinionis respondetur. Ad primum ex testimonio Aristotelis dicitur, Aristotelis sententiam non esse, per has actiones immanentes nihil fieri, sed vel nihil fieri extra ipsum operantem, vel (quod magis existimo) nihil fieri quod maneat transacta actione; et hoc modo ait hujusmodi actionem consistere in ipso usu. Quomodo 1 Ethicorum, capite primo, ait in nonnullis artibus operationes esse fines, et non aliquid per eas factum, ut in arte cytharizandi, quod necessario intelligendum est de termino facto et permanente, qui manet post actionem, ut supra declaravimus tractando de causa finali. Sic ergo dicitur, per actiones immanentes nihil factum relinqui, quia per illas nihil fit, quod illis finitis maneat.

21. *Quæ sint quoad hoc differentiæ inter immanentes actiones et transeuntes.* — Dices: ergo nulla est differentia in hoc inter actiones immanentes et transeuntes; nam etiam inter actiones transeuntes dantur aliquæ, quibus nihil per eas factum respondet, quod eis finitis maneat, ut patet in exemplo posito de actione cytharizandi, vel cantandi; et e converso, per aliquos actus immanentes producitur aliquid permanens transacto actu, ut habitus, qui per actum interdum producitur. Respondetur, ab hac ultima parte incipiendo, nullam esse actionem immanentem, per quam proprie et per se fiat aliquid permanens post illam; nam habitus non fit per actionem ut actio est, sed fit per intrinsecum terminum actionis immanentis, id est, per qualitatem illam, quæ est actus secundus et ultimus potentiæ. Unde non fit habitus per actum immanentem illo modo sumptum, tanquam per actionem, sed tanquam per principium agendi, ut supra declaratum est; nam actio illa, qua immediate fit habitus, et ad illum proxime terminatur, cum ipsomet habitu identificatur, et est modus ejus, sicut in

universum omnis actio est in suo proprio termino. Differentia ergo consistit in hoc, quod actio immanens non habet unquam terminum permanentem post ipsam; actio vero transiens regulariter illum habet, quanquam interdum ac raro aliter eveniat. In quo etiam est differentia, nam quando id, quod fit per actionem transeuntem, non permanet, solum est ob imperfectionem, vel imperfectam participationem, ratione cuius non potest permanere, nisi actu conservetur; sic sonus, qui est terminus factus per actionem cytharizandi aut cantandi, non permanet, ob imperfectionem suam; et lumen, et similia. At vero in actibus immanentibus et vitalibus id provenit ex peculiari quadam natura pertinente ad perfectionem; sunt enim ultimi actus vitæ, et ideo permanere non possunt sine actuali influxu principii vitalis.

22. *Actiones instantaneæ sunt in prædicamento actionis.* — Ad secundum respondetur, omnino falsam esse assumptionem; nam sub genere actionis non tantum successivæ actiones, sed etiam instantaneæ collocantur. Quod satis probat argumentum illud factum de illuminatione, quam mirum est quomodo Soncinas neget sub hoc genere collocari, cum negare non possit esse veram accidentalem actionem productivam proprii termini; quia si in hoc genere non collocatur, in quo prædicamento erit? Nam si fortasse Soncinas dicat illuminationem reduci ad prædicamentum qualitatis ubi est lumen, cur non dicet idem de calefactione? Aut cur potius actio successiva suum prædicamentum per se constituit, quam actio instantanea? Nullam sane probabilem rationem reddere potest; maxime, quod multi censent, actiones, ex hoc præcise quod una sit successiva, et alia tota simul, non necessario habere essentialiam et specificam distinctionem, si aliunde majorem differentiam non habeant; nam, sicut calefactio ut octo, ex eo quod longiori aut breviori tempore fiat, non est diversa actio in specie, imo neque in re una est major actio quam alia, id est, plus aut minus entitatis habens in ratione actionis, quia æqualem terminum faciunt, licet tardius vel celerius faciant, quod accidentale est, ita licet tota illa calefactio fiat in instanti (ut fieri potest, si passum nullam habeat resistantiam), non erit actio essentialiter diversa, sed erit tantum (ut sic dicam) celerrima seu velocissima actio illius speciei, et ad illum terminum. De qua re nonnulla addemus sectione sequenti; quid-

quid enim de hoc ultimo puncto sit, non est dubium quin actio instantanea, vera actio sit de prædicamento actionis.

23. *Actio omnis an sit motus.* — Ad argumentum autem in contrarium, scilicet, quia omnis actio est motus, respondetur negando illam propositionem metaphysice sumptam; deficit enim ut minimum in actione creativa, ut supra visum est, et attingemus hic iterum sect. 4. At vero sumendo illam physice, id est, de actione physica, est vera cum proportionem, et loquendo identice, magis quam formaliter secundum conceptus præcisos mentis; nam actio successiva est motus successivus, actio vero instantanea est mutatio instantanea, quæ late loquendo etiam solet motus appellari; et ita fortasse locutus est Aristoteles, in 3 Phys., c. 3, quamvis ex eo loco potius sumendum sit, omnem motum esse actionem, quam e converso omnem actionem esse motum.

24. *Num omnis actio inferat passionem.* — Ad tertium idem dicendum est de illa propositione: *Actio infert de se passionem*; est enim vera de actione physica, non de actione absoluta. Et quamvis actio immanens, metaphysica potius dicenda sit quam physica, quia ex vi sui generis abstrahit a materia secundum esse, tamen ex ea parte qua convenit cum actione physica, in eo quod fit ex subjecto, verum habet illud principium, etiam in actione immanente. Male autem comparatur hæc actio ad objectum, in quod nullam infert passionem, quia tantum est de ratione actionis, ut inferat passionem in subjectum in quo ipsa est, vel, ut formaliter loquamur, in subjectum in quo est terminus ejus; hoc autem modo actio immanens infert passionem in ipsum operans. Male item committitur æquivocatio de materia circa quam, et ex qua; non enim oportet ut actio inferat passionem in materiam circa quam, ut in subjectum, sed in materiam in qua, vel ex qua, ut est subjectum. Ad confirmationem autem ex definitione potentia activæ, si argumentum quicquam valeret, probaret, potentias, a quibus manant actus immanentes, non esse potentias activas, quia non transmutant aliud; necessario ergo exponenda est illa definitio, vel de potentiis quæ agunt actione transeunte et physica, vel, si in universum intelligenda est de potentia transmutandi subjectum, illa particula, *aliud in quantum aliud*, non est intelligenda secundum realem distinctionem, sed sufficit secundum rationem formalem po-

tentia agentis et patientis, ut tractando de causa efficiente dictum est.

25. Quartum argumentum ideo proponitur, quia non consideratur distinctio inter actionem immanentem quatenus actio est, vel quatenus est qualitas facta; item quia non consideratur aliud esse loqui de actione, ut actio est, vel ut talis actio est. Actio ergo, secundum communem ac præcisam rationem actionis, non postulat ut sit perfectio agentis, quod solum probat exemplum ibi adductum de calefactione ignis; non vero repugnat rationi actionis, ut aliqua actio ex sua propria etspecifica ratione sit perfectio agentis. Rursus cum dicitur beatitudo consistere in actione immanente, si proprie loquamur, intelligendum est consistere in ipso actu immanente, ut est qualitas informans ac ultimo perficiens ipsum operans; nam in actione, ut actio est, non consistit nisi præsuppositiva, et ut in via ad talem perfectionem.

Argumentis secundæ sententiæ satisfi.

26. Argumenta secundæ sententiæ soluta sunt in superioribus, præsertim primum et secundum. Ad tertium vero dicitur, satis metaphorice dici potentias uniri objectis per actiones immanentes; eo tamen modo quo ununtur, id proxime fieri per qualitates productas in ipsis potentiis per proprias actiones immanentes. Et in universum actio unitiva nunquam fit sine productione alicujus termini, qui vel formaliter sit ipse modus unionis, vel complete et adæquate sit ipsum compositum ex unionem resultans ut alibi latius tractatum est.

SECTIO III.

Quis respectus, ad principium, vel ad terminum, sit magis essentialis actioni, et unde sumat specificationem suam.

1. Cum ostensum sit actionem duplicem respectum includere intrinsece et essentialiter, videndum consequenter est quomodo illi duo respectus in unam et eandem rem simplicem ac per se unam conveniant. Nam videntur inter se specie diversi, cum res plusquam specie diversas respiciant; ergo vel non possunt rationem essentialem actionis per se unam componere, vel dicere oportet ab altero sumi rationem generis, ab altero rationem differentia, ut ita possit rationem per se unam componere. At vero nulla ratione potest uni respectui tribui differentia generica vel specifica, potius quam alteri, quia actio in genere utrumque respectum in-

cludit, ad agens in communi, et ad terminum in communi; actio vero in specie variari potest, tum variato termino, tum etiam variato principio agendi.

2. Hæc quæstio in propriis terminis fere est ab auctoribus prætermittitur, sed illam includunt vel sub communi quæstione de specificatione motus ex termino, quam attingemus disputatione sequenti, vel sub alia quæstione de specificatione actuum immanentium ex objectis, quam supra insinuavimus, cum de qualitate ageremus. Nihilominus tamen specialem habet difficultatem, propter peculiarem respectum quem actio, ut actio, dicit ad agens, et propter varia dicta Doctorum, præsertim D. Thomæ. Supponimus autem ex dictis in superioribus, et ex doctrina D. Thomæ, 1. 2, q. 54, art. 2, has entitates vel modos qui in sua essentia includunt respectum ad aliquid, ab illo etiam sumere speciem, non quod ipse terminus aut res extrinseca sit propria differentia, cum hæc debeat esse interne ac formalissime in ipsa re, sed quod, juxta diversitatem rei ad quam est habitudo, varietur habitudo ipsa, et consequenter essentia rei.

Varia sententiæ proponuntur.

3. Hoc supposito, varii possunt esse modi dicendi in præsentia difficultate. Primus est, actionem sumere speciem ex principio agendi, et non ex termino, per se loquendo. Hæc videtur esse sententia D. Thomæ, 1. 2, q. 1, art. 3, cujus hæc sunt verba: *Cum motus distinguatur per actionem et passionem, utrumque eorum ab actu speciem sortitur: actio quidem ab actu qui est principium agendi, passio vero ab actu qui est terminus motus. Unde calefactio actio nihil aliud est quam motio quædam a calore procedens; calefactio vero passio nihil aliud est quam motus ad calorem; definitio autem manifestat rationem speciei.* Et ratione probatur hæc sententia, quia actio habet tam essentialiam habitudinem ad principium efficiens, ut, illo variato, necesse sit variari actionem; e contrario vero non ita pendet ex termino, ut hoc essentialiter variato necesse sit actionem essentialiter variari; creatio enim cæli et terræ ejusdem speciei est, etiamsi res ipsæ creatæ specie differant. Et confirmatur primo: nam actiones vitales differunt a non vitalibus ex principio activo, scilicet, quia procedunt a principio intrinseco et vitali. Et rursus actiones vitales differunt